

veri Dei cognitione tam stolide falli. Miserrimum tamen, recte quidem de Deo sapere, acquiescere interim in solo cultu externo, legi autem ejusdem non obtemperare.

DIALOGUS XIV.

Generalia de Aris, ac Templis, deque primis peculiariter.

TULLIUS.

I.

ANtequam Aras, ac Tempa, in Numis intuearis, monendus es mihi de plurium Vocum, quæ vulgo nunc promiscue adhibentur, propria olim apud Græcos, Romanosque notione: licet nonnulli antiquiorum pariter Scriptorum cum primis Poëtæ, in usu earum liberi satis exstiterint. Sic *Ara Altare*, *Focus*, plurimis quasi synonyma sunt, a veteribus tamen cum distinctione prolata. *Ara* namque, ab *area* deductum, sive terra, formæ humilis fuit, parumque elatæ, Diisque terrestribus fiebat. *Altare* ab *altitudine* dictum, erat molis celsioris, ponebaturque Diis cœlestibus. Utrumque interim hoc genus in Templis visebatur. *Focus* in domibus duntaxat ad Lares, Penatesque colendos, citra ornatum, sic duntaxat, ut ignem caperet, constructus fuit. Hinc illud, *pro Aris, & Focus*, i. e. Templis, ac domibus, pugnare.

II.

Similiter *Fanum*, *Sacellum*, *Aedes*, *Penetralia*, *Templum*, *Delubrum*, oppido differebant. *Fanum* quippe, ruri cum primis, nihil erat, nisi *Area* publica, sive certus agri *Locus*, ad *Sacra* ibidem agenda destinatus, & inauguratus: a quo *Sacerdotes* ejus *Fanatici* appellabantur. *Sacellum* fuit parvum spatium cum *ara*, sine tecto, certo tamen Deo sacrum: ubi & adolebatur, & male-

fa-

actoribus, eo confugentibus, asylum indultum est. *Aedes* dicebatur modicum *Ædificium* clausum, cum titulo Dei præfixo ejusque Idolo intus erecto: quam *Signa*, in fastigio posita, i. e. *Statuæ*, profana ab *Aede* distinxerunt. *Penetralia* fuere *Capellæ* domesticæ pro *Laribus*, ac *Penatibus*, cum *Foco*, absque *Ara*.

Templum grandis erat fabrica, & superba, uni Deo constructa. Hujus partes fuerunt: I. *Area*, ubi *Hostiæ*, & *Victimæ*, ac cætera *Libamenta* venum prostabant. II. *Atrium*, sive *Locus* tectus, quo ab injuria cæli tutum consistere licuit. III. *Fores*, aut *Valvæ*, cum titulo Dei, & *picturis*, vel *anaglyphis*, ejus *historiam* redhibentibus: cujusmodi ornatu etiam *parietes* templi recreabant. IV. *Aræ*, & *Altaria*, *vittis*, i. e. *filaminibus* laneis aut *verbenis*, h. e. *sertis pensilibus* variarum *herbarum* exornata. V. *Simulacrum* ipsius Dei: qui, ut *viventi* similior esset, *vestibus* induebatur, immo & *velo* coram *plebe* fuit *obductus*, *sacrofancti* *mysterii* causa. *Delubrum* tandem *plurium* *Deorum*, *simul* *ibidem*, quod sæpissime fiebat, *cultorum*, *Templum* erat. Quod omnibus *Diis* nuncupatum fuit, *Pantheon* audiebat, *forma* *rotunda* *constructum*, ne primo de loco inter *Deos* contentio fieret.

III.

Insuper quoque *Inauguratio*, *Consecratio*, *Dedicatio*, distinguendæ sunt. *Inauguratio* etenim fiebat, quando *Augures* ex *avium* *volatu*, *studiosè* *observato*, *pronunciabant*, quo loco *Templum* *construi* *Diis* *placeret*. *Consecratio* dicebatur, quando *Locus*, ab his *designatus*, *omni* *deinceps* *humana* *potestate* *exemptus*, in *solius* *Dei* *proprietas*, & *jus* *transire* *decretus* *fuit*. *Dedicatio* demum *summa* *cum* *pompa*, *Templo* *jam* *undique* *perfecto*, *acta* *est* *a* *Pontifice* *Maximo*. *Qui*, si etiam *Consul* *foret* *aut* *Imperator*, his tamen in *Solemniis*, *posita* *trabea*, & *purpura*, *omnique* *Veste* *profana*, *indumenta* *solummodo* *Pontificalia* *sumpsit*. *PUBL.* Valde me tibi devinxisti, quod ista tam breviter comportaveris, *lumini* *non* *modico* *in* *veterum* *lectione* *mihi* *futura*. *TULL.* Fac, age, ut *Acerram* *novam* *Philologicam* obtineas, hunc ipsum in finem *eruditissimo* *labore* *conscriptam*: ubi, quæ dixeram, *omnia* *confartis*, & *exquisitis* *Exemplis* *ac*

IV.

Part. I. a
Pag. 339.
item 355.

Testimoniis, multo plenius disces. Nunc porro Tabulæ meæ III. Numum I. mum intuere.

V. TAB. III. N. I. PUBL. Militem nudum, galeatum tamen, stare hic video cum Vexillo, ac Parazonio, ut volunt, qui Martis mihi speciem referret, nisi aliter svaderet Epigraphe, sic habens, ni fallar: *Jovi O. primo M. aximo S. acrum. VOTA P. ublica PRO SAL. ut ET RED. itu.* TULL. Egregie legisti. Pro Augusto hæc vota fiebant, cujus caput nudum est in Adversa cum titulo: CAESARI AUGUSTO S. en. P. op. Q. ue R. omanus: Redhibuit hunc Numum æris medii Cl. Patinus: aliquoties vero eundem laudat *Argelatus*, modica subinde cum epigraphes discrepatione, semel vero, ac iterum, cum his votis intra Sertum querneum descriptis. Figuram nudam, phrasi variorum, quorum Indices exceptit, nunc militem vocat, nunc Martem: videri autem possit, virtutem hic Militarem depingi, ut solet in aliis Numis.

VI. Ego porro hunc Numum hoc loco præmissi, licet neque Aram, neque Sacrificium exhibeat, Votorum causa: quæ non aliter, nisi apud Aram, vel certe propter Sacra edebantur. Cur pro Principe fierent, breviter, optimeque audias ex *Plinio*, dum *Trajano* laudare diceret. Solemnia *Vota* pro Incolumitate tua, qua *Publica Salus* continetur, & suscepimus, Domine, pariterque & solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari. *Augustus* porro adeo diligebatur, ut, *Suetonio* teste, non solum omnes ordines in Lacum *Curtii* quotannis ex *Voto* pro *Salute* ejus stipem jacerent: verum etiam nonnulli Patrum familias testamento caverint, ut ab hæredibus suis *Victimæ*, prælato titulo, in *Capitolium* ducerentur, *Votumque* pro *ipsis* solveretur, quod *superstitem Augustum* reliquissent. Cum vero hic Numus non solum *Vota*, pro *Salute*, sed etiam pro *Reditu* ejus contineat, doctissimo *Argelato* id illustrari videtur ex *Dione*, dum de *Augusto* prædicavit. Ad bellorum administrationem ita intentus fuit, ut, quo propius, quæ in *Pannonia*, ac *Dalmatia* gerenda essent, subinde monere posset, *Ariminum* se contulerit. In ejus ab *Urbe* exitu *Vota* nuncupata, ac redeunte sacrificatum, tanquam ex *hostico* rediisset, Habes hic causam, & Votorum, & figuræ militaris.

PUBL. Eximium hoc, quod omnibus Principibus optem VII.
 ex merito fieri. Secundo autem in Numo tuo quid intuear? TAB. III.
 Basis est quadrata, similis Aræ, verbis etiam cineta: lateri ta- N. II.
 men utrique vasculum quoddam velut appensum, quale & in
 imo consistit. Supra scribitur: PUTEAL. infra: SCRIBON.
ius. *TULL.* Anceps est hic Denarius, aliter, aliterque pictus,
 itemque expositus, primum apud Cl. *Patinum* in Gente *Aemilia*
 p. 7. atque *Scribonia* p. 249, deinde apud Ill. *Spanhemium* II. p. 190.
 ex *Vaillantio*. Jam enim in Adversa Caput fœmineum velatum,
 cum fastigiolo comparet, ante cujus vultum legitur: PAULLUS.
 LEPIDUS: Item: CONCORDIA. Erant quippe hi duo Fra-
 tres, ambo Aemilii, quam optime convenientes. Jam apparet
 Caput non velatum, cum titulo: BON. us. EVENT. us: retro:
 LIBO: quod erat *Scribonii* cognomen. Aversa non minus varia
 est. Nunc enim infra in pede Basis, loco vasculi, videtur mal-
 leolus: quandoque neutrum. In Denario, ubi *concordia* est,
 circum Basin legitur: PUTEAL. SCRIBON. infra. LIBO. Cl.
Harduinus ait, visum sibi adhuc alium hujus generis Denarium,
 cum Capite, ac Nomine *Augusti*.

Expositionem quod attinet, alii quidem Aram hic agnoscunt: VIII.
 alii Tribunal prætorium: alii utrumque simul hic esse, vel sal-
 tem eodem in loco conjuncta stetitisse arbitrantur. Dubium exci-
 tat vox *Puteal*, quæ a *puteo* dicta, vel hunc, vel tegmen ejus in-
 dicare solebat. Vero simillimum est, hic exhiberi Suggestum
 Prætorium: qui, cum nova forma speciem putei præferret, per
 similitudinem *Puteal* appellatus est. *Harduinus* eum sic describit
 juxta Numi figuram. Compages lignea quadrata, sertis ac flo- In Plin.
 ribus circumdata. Hinc inde pendent Arculæ duæ, vel sacculi suo II. p.
 forenses, in quibus essent Instrumentalium. In imo malleolus, 742. nota
 quo signum a Prætoribus daretur prætorii dimittendi. Curia ea 9.
 septa sive claustra sunt: quod putei crepidinem representarent,
Puteal appellata. Prætor Urbanus *Scribonius Libo* fuit, idemque
 primus auctor hæc claustra construendi. Inde *Horatius*:

- - - - - Forum, *Putealque Libonis*
 Mandabo ficcis:

Libr. I.
 Epist. 19.
 v. 8.

i. e.

Libr. II.
Satyr. VI.
v. 35.

i. e. sobriis, non ebbriis, appellandum. Idem præterea & alibi cecinit :

Roscius orabat, sibi adesses ad *Puteal* cras.

IX.
Antiquit.
L. III.
In Exer-
citation.
Plin.

In Lex
voce *Pu-
teal.*

Quoniam vero *Dionysius Halicarnassæus* de *Navio* Augure loquens ita scripsit : „ Nec multum ab ea (*Navii* statua) dicitur esse ea-
dem cautis, & *Novacula*, sub *Altari* subterraneo, diciturque a
„ Romanis *Locus* iste *Puteal* : „ Doctissimus quidem *Salmasius* du-
dum prolixè contendit, duplex Romæ *Puteal* fuisse, utrumque,
vero a pluribus unum in Locum esse confusum. Opinione *Pi-
tisci* vicina sibi steterant eodem prope loco tam *Tribunal* prætorium,
quam *Ara*, apud quam litigantes, cum opus esset, jure jurando
causam suam firmarent, litemque dirimerent. Utrique porro,
vicinix causa, *Putealis* nomen commune fuisse. Serta certe pensilia
Potius *Aræ*, quam *Tribunalis* ornamenta censere licebit.

X.
TAB.
III. N. III

PUBL. Tertium Numum remotioris indaginis esse non ar-
bitror, qui *Aram* habet forma quadrata, impositis quasi corni-
bus, cum inscriptione: FORT. unæ RED. uci GAES. aris AUG.
usti S. en. P. op. Q. ue R. omanus. Soluta videntur hic Vota, quæ
primo in Numo pro *Salute ac Reditu* suscepta dicebantur. *TULL.*
Lingua mentem tuam præcurrit. Cui enim antea suscepta Vota
five nuncupta? nonne *J. ovi O. primo M. aximo*? Hæc *Ara* porro
non *Jovi*, sed *Fortunæ reduci* posita. *PUBL.* Damno celerem in-
curiam: insignis *Oedipus* ego; dum loquor, labor. *TULL.* Non
tu unus es, cui se attentio suffuratur. Tanta, quam audis, va-
rietas rerum facillime detinet mentem, dum oculus pergit. Vul-
gavit hunc Numum, ut eum pinxi, *Vicus* argento *Augusti* igno.
Sed *Argelatus* hanc molem quadratam, pariter inscriptam, Cippum
dicit, non *Aram*, superque eandem, non *Cornua*, sed geminos
Delphinos recubare, descriptione sua edixit, a *Vico* fortassis ob
attritionem satis non agnitos.

XI.
Lib.
LIV.

Causam Cippi hujus, vel *Aræ*, rursus *Dio Cassius* reddi-
dit, scribens, latina *Ursini* interpretatione. „ Ob reditum ejus,
„ & propter ea, quæ absens egisset, multa, ac varia, in ho-
„ norem ejus decreta sunt: quorum ille nihil accepit, nisi, quod

For-

„ *Fortuna Reduci Aram consecrari*, diemque sui Reditus inter Ferias
 „ referi, & Augustalia dici passus est. „ *PUBL.* Nihil ad hanc
 rem commodius attulisses. Testimonii hujus fiducia in hoc Num-
 mo Aram Fortunæ Reducis apparere, secure teneo: & si *Argelati*
 asserto, eadem Delphinis ornetur, itineris terra marique felici-
 ter confecti, testes illos, atque indices arbitror. *TULL.* Ut
 ita sentias, nihil equidem tibi obsum.

PUBL. Numi quarti Ara curiosa est admodum, ad mar- XII.
 gines cornuta: cujus e lateribus exterioribus vela dependent. TAB.III
 Ornata est verbenis, Capricornis duobus, ni denuo fallar, intra N. IV.
 eam inferius adversum se consistentibus. Desuper scribitur: AU-
 GUSTUS. An pro Capricornis capreolos dicere debueram? *TULL.*
 Iterum hunc Numum *Vicus* evulgavit argento *Augusti* 56.: quem
 vero apud *Argelatum* haud reperi. Aram hic esse singularis for-
 mæ, dubium non est: tutam tamen ejusdem rationem tibi red-
 dere nequeo. Si Capreoli hic adsent, Dianam forsitan Ara hac
 coleret: quæ Dea in *Augusti* Numis peregrina non est. Capri-
 corni quoties in Ære ejusdem occurrunt, formam habent Sideris
 cœlestis, retroque in piscem desinunt: quod hic minime vides,

PUBL. Numus quintus æreus medius e meis est. Adversa XIII.
 caput habet laureatum cum epigraphe: CÆSAR AUGUST. TAB.III
 PONT. MAX. Aversa per te picta exhibet Aram novi orna- N. V.
 tus, cujus utrumque latus columnæ concludunt, quibus utrinque
 Victoria alata cum ferto, & palma superstat. Infra legitur: RO-
 M. ac. ET AUG. *usto.* Stultum hoc & superbum, immo blas-
 phemum homini adhuc viventi, tanquam Deo, Aram construi.
TULL. Neque primo, neque ambienti hoc Augusto, sed re-
 luctanti, per populorum dementiam contigit. Ait enim *Sucto-*
 „ *niius* hac de re: „ *Templa*, quamvis sciret etiam Procunsulibus
 „ decerni solere, in nulla tamen Provincia, nisi *communi suo*
 „ *Romæque* nomine, recepit. Nam in urbe quidem pertinacissi-
 „ me abstinuit hoc honore, atque etiam argenteas Statuas, olim
 „ sibi positas, conflavit omnes: ex quibus aureas cortinas Apol-
 „ lini Palatino dedicavit. „ Extenuant ista nonnihil crimen tam sce-
 lestum, docentque, nec Imperatorum summam Potestatem ino-

litas populi superstitiones, aut potuisse, aut ausam saltem fuisse penitus reprimere. *PUBL.* Teneo pares ex ære magno *Tiberii* & *Caligulae* Numos: qui tamen *Augusti* modestiam æmulati esse non videntur.

DIALOGUS XV.

Exempla Templorum in Numis.

TULLIUS.

I.
TAB III.
N. VI.

Tom. II.
p. 642.

Sextus Numus quomodo placet, & in eo quid vides? *PUBL.* Templum, puto, quoniam fores clausas habere apparet, intra Coronam querneam. Supra in medio imponitur Sertum laureum. Ad latera, & infra, scribitur: *PACI AUG. usli PERP. etua.* *TULL.* Hic Numus *Tiberium* rehibet in Adversa, apud Vicum piæus absque lauro, ære hujus Imperatoris 4. to. Ill. porro *Spanhemius*, de Numis Augg. agens, qui Pacem signant, hunc nostrum obiter commemorans, exhiberi ait in eodem Templum Jani clausum, ut pacatis Reipublicæ rebus, armisque positis fieri solebat. Video autem tua in supelectili tres alios Numos pari fere cum Templo, non tamen intra Sertum: pone: S. C. infra scribitur: *PROVIDENT. iat.* Primus æque *Tiberii* est: alter, ac tertius, in Adversa Caput habent *Augusti*, cum titulo: *DIVUS AUGUSTUS PATER.* Horum posterior est restitutus, quoniam in Aversa circum legitur: *IMP. CÆS. VESP. asianus AUG. uslus REST. iquit.* Existat præterea apud *Æn. V. icum* Ære *Vespas. 26.* simillimum Templum, supra imposto Cantharo duas inter Coronas laureas, æque cum titulo: *PROVIDENT. ia.* Item Ære *Domit. II.* Templum sine Coronis, cum epigraphe circum: *SALUTI AUGUST.* Un-
di-